

effectum; cum nimium tribuat libero arbitrio in negotio gratiae et salutis, et prædestinationem ad gratiam non relinquat gratuitam.

R. N. A. et prob. 1<sup>am</sup>. Nam *Semipelagiani* nec gratiam nec prædestinationem admittebant ad initium fidei, quod non secus ac *Pelagiani* putarent iis tolli libertatem; unde scientia media non utebantur ad concordiam declarandam inter libertatem et gratiam ac divina predefinitionis aut prædestinationis decreta. Utibantur itaque hac *scientia* non tam media quam *absoluta*, et *meritorum* quidem *naturalium*, ut imprimis assignarent motivum et rationem cur Deus unum præ altero ad fidem vocet, vel ad salutem eligat; ubi nos nullum motivum ex parte hominis agnoscimus, sed cum Apostolo ad gratuitam Dei voluntatem et inscrutabilia Dei iudicia configimus: deinde ut declararent, Deum non esse acceptorem personarum; quam notam a Deo penitus removet gratuitas gratiae et absolutum Dei in dona sua plane indebita dominium.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. N. utr. p. Nam in systemate nostro nihil tribuimus libero arbitrio, nisi quod ipsi adversarii citra hæresin negare nequeunt; nempe veram prævenienti gratiae resistendi et parendi potestatem, determinacionemque liberam ad bonum, a *Tridentino* assertam et a *Catholicis* omnibus admissam. In eodem prædestinatio tota est ex Dei voluntate libera et misericordi; tum quia Deus per scientiam medium non explorat nostram voluntatem tanquam causam, regulam, aut motivum, quo Deus certo determinetur ad gratiam concedendam: tum quia licet scientia media præluecat, et etiam nostro concipiendi modo dirigit prius Deum, quam absolute quid statuat circa liberas nostras actiones, aut gratiam dare decernat; tamen sepe dat gratiam inefficacem non obstante ejus inefficacia, et non dat efficacem non obstante gratiae efficacia prævisa.

#### ARTICULUS IV.

##### QUEM SCIENTIA DEI SIT CAUSA RERUM?

164. Nota. Scientiam Dei esse causam creaturarum seu rerum a Deo aliquando existentium, constat tum ex Scriptura, in qua Sap. 7. 2. *Sapientia omnium artifex*, et Ps. 103. 24. Deus *omnia in sapientia fecisse* dicitur: tum ex ratione, ex qua manifestum est, Deum esse agens rationale perfectissimum. An ea *directive* duntaxat sit, an vero simul *efficiens*, cum TERTUL. in *Apolog.* c. 47. potius sentiendum, qui inter formalitates Dei sic distinguit: *totam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit*. Sed gravior controversia est, cuinam scientiae divinae hoc munus tribuendum sit, maxime circa effectus nobis liberos? propterea quod ex ea dependeat conciliatio præscientiae divinae cum nostra libertate. Thomistæ recentiores pro causa proxima directive et effectiva hujusmodi objecti assignant scientiam *visionis*; non quidem quatenus præcise est visio sui objecti, quia sic speculativa est, sed quatenus est scientia approbationis, applicata per decretum efficax, vel quatenus est imperium intellectuale, posterius quidem decreto efficaci intentivo et electivo, prius vero usu activo et decreto executivo: ad quod persuadendum tria probanda suscipiunt: 1<sup>am</sup>. scien-

tiam visionis de objecto nobis libero non determinari ab ipso objecto, nec esse illo posteriore: 2<sup>am</sup>. ideo effectus nobis liberos esse futuros, quia Deus illos videt; non autem e contrario: 3<sup>am</sup>. Deum non posse decernere existentiam hujusmodi effectuum, nisi cam absolute prævideat. His opposita est unanimis Nostrorum sententia. Nempe scientiam divinam, quoad operationes extra Deum, esse practicam per modum artis, adeoque 1<sup>o</sup>. non nisi ut causam directivam admittimus: quia vero idea divina formalis habet rationem artificialis directionis, et, ut cognitio representans essentiam, proprietatem aliasque affectiones rerum possibilium, est ipsissima scientia *simplicis intelligentiae*: sequitur 2<sup>o</sup>. hanc maxime scientiam pro causa rerum statuendam: cum porro pro decretis divinis rite formandis et cum libertate humana conciliandis requiratur scientia media directrix, illa vero sive ratione effectuum, sive ratione perfectionis divinæ, necessaria sit ad actus nostros maxime salutares; haec quoque scientia 3<sup>o</sup>. dici potest suo modo causa eorum actuum directiva. Itaque

165. Dico. Scientia divina *visionis* de effectu nobis libero, non est causa sive directiva sive effectiva ejusdem effectus. Dico: *eiusdem effectus*; scientiam enim *visionis* de uno objecto v. g. meritis, posse aliquo modo esse causam alterius objecti et dirigere ejus decretum v. g. conferendi gloriam ut coronam, ex dicendis alibi constat.

Prob. Si scientia *visionis* effectus nobis liberi, esset istius causa directiva vel effectiva, ergo ideo ejusmodi effectus esset futurus quia Deus eum futurum videt; non autem ideo cum previderat, quia is est futurus: sed hoc esse falsum ostenditur 1<sup>o</sup>. ex *PATRIBUS*, inter quos ORIGEN. in c. 8. ep. ad Rom. v. 28. (opp. t. 4. part. 1<sup>a</sup>. p. 603. col. 1. C.) inquit: *Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, scitur a Deo, antequam fiat*. EUSEB. L. 6. Præp. Evang. c. 11. p. 288. A. *Neque enim idcirco fit, quod futurum esse cognoscatur; sed quod futurum sit, idcirco futurum esse cognoscitur*. CHRYSOST. hom. 60. in Matth. (al. 59. n. 1. opp. t. 7. p. 594. C.) *Non quia futura scandala prædixit, ideo evenient; sed quoniam omnino ventura erant, idcirco prædixit*. HIER. in c. 26. Jerem. v. 1. *Non ex eo, quod Deus scit aliquid futurum, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit quasi præscius futurorum*. 2<sup>o</sup>. Ex ratione lœdendæ alias *libertatis* create; quia si consensus v. g. ideo est futurus, quoniam prævidetur ab æterno, voluntas imprimis, antecedenter ad scientiam *visionis* de consensu tanquam causam per se consensus, non posset pro libitu consentire; consequenter nec libere dissentire; quia potentia libera debet esse ad duo extrema: deinde nec in sensu composito visionis de consensu posset dissentire, nt adversarii fatentur: denique nec in sensu diviso; quia voluntatem posse dissentire in sensu diviso visionis de consensu, est posse se dividere a scientia visionis de consensu, ut rursus ab adversariis datur; ergo. 3<sup>o</sup>. Ex ratione lœdendæ alias *sanctitatis divinæ*, quia similiter dicenda essent peccata futura, quia Deus ea scientia visionis prævidit h. e. ex decreto absoluto, de illis facto, ea vidit scientia approbationis et per modum imperantis.

Conf. I. Si scientia *visionis* foret causa rerum, ergo scientia *visionis* non foret posterior suo objecto, nec hoc illam aliquo modo determinaret: sed hoc falsum esse rursus ostenditur 1<sup>o</sup>. ex *PATRIBUS*, inter quos EUSEB. l. c. haec

*præmittit: Libere quod res est eloquamur: non Dei modo prænotio rerum causa non est, sed etiam, quod a communi sensu remotum quidem sed verum tamen est, id ipsum quod futurum est, ejusmodi prænotionis est causa.* JUSTIN. seu Auctor QQ. ad Orthod. q. 58. *Non est præscientia causa ejus quod futurum est; sed id, quod futurum est, est causa præscientiae; non enim quia præscita est, evenit res futura; sed quia futura est, prescritur.* DAMASC. Dial. cont. Manich. n. 79. (opp. t. 1. p. 462.) *Præscit itaque Deus ea, quæ sponte ac libere acturi sumus... verum ut quæ facturi sumus præsciat, hoc a nobis profiscitur: nisi enim facturi essemus, ne ipse quidem, quod futurum non esset, præcognosceret.* 2º. EX RATIONE; nempe tum quia cognitio divina de objectis libere contingentibus habet objectum formale intentionaler determinative motivum; tum quia scientia visionis est ea, qua cognoscitur existentia rei ut actualis pro tempore, pro quo est actualis, adeoque ut actualem et productam supponit; unde nec prior est, nec causa esse potest.

*Conf. II.* Si scientia visionis esset rerum causa, ergo quia Deus non posset decernere existentiam rei, nisi eam absolute seu per scientiam visionis prævideat, ne scilicet voluntas divina cæco modo et in incognitum feratur: sed imprimis, ne voluntas divina cæco modo feratur, sufficere potest scientia simplicis intelligentiae aut media, et non necessaria est visio: deinde juxta Thomistas pro priori ad scientiam visionis potest esse et datur decretum efficax intentivum rei et electivum mediorum: denique secundum eosdem nec ipsa scientia Dei causat ut visio, sed ut imperium; ergo nec principium hoc, nec ejus ratio, nec fundata in utroque assertio stare potest.

166. *Obj. I.* Patrum testimonia nihil hic videntur probare. Nam 1º. plerique loquuntur de *peccatis*, quæ utique Deus non facit; non autem de actibus bonis, quæ Deus nobis operatur secundum consilium voluntatis suæ. 2º. Negantes *visionem* esse rerum causam, intendunt duntaxat inde non imponi necessitatem rebus præcognitis, non vero excludunt a scientia causalitatem. 3º. Intelligenda sunt Patrum dicta de scientia visionis, prout haec visio seu intuitio præcise est ac speculativa, non autem prout est scientia *approbationis* et rationem imperii habet.

R. N. Ass. *Ad prob. 1<sup>am</sup>.* R. 1º. Falsum esse assertum constat ex recitatis verbis, quæ generalia sunt, et ad omnes effectus pertinent. 2º. Quantum haec testimonia spectant ad ostendendam contra *infideles* et *haereticos* præscientiae divinæ cum libertate creata concordiam, par est ratio boni et mali operis; cum alias haec stare non posset respectu operis boni, aut ejus quod peccatum non est, si illorum causa foret scientia visionis. 3º. Cur ad probandam thesin generalem usi fuerint PATRES nonnulli exemplo *peccatorum*, ratio erat, quod longe facilius intelligatur, Deum, qui peccati auctor esse non potest, sua præscientia res futuras non facere sed supponere.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. N. Ass. Quamvis enim Patres recte dicant, præscientiam Dei non inferre necessitatem, id tamen non tantum dicunt, sed probant ex eo, quod non sit causa rerum futurarum, sed quod habeat se instar memoriarum respectu preteritorum, ut loquitur S. Aug. L. 3. de lib. arb. c. 4 n. 11. aut instar scientiae, quam medicus habet de morbo futuro alterius, ut illustrat S. DAMASC. I. supra cit.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>.* R. N. Ass. Quia imprimis hi sensus Patrum non solverent sed augerent difficultatem *gentilium* et *haereticorum*, quæ stabat in compонenda libertate nostrorum actuum cum infallibilitate et connexione scientiae divinæ ab æterno existentis: consortium enim illud scientiae cum decreto, approbatione et imperio non minuit, sed auget vim infallibilitatis et connexionis; quandoquidem non sola scientia, sed etiam decretum, approbatio et imperium sint infallibiliter connexa cum futuro, cuius causa dicuntur. Deinde vel illæ reduplicaciones: *ut intuitio, ut imperium*, denotant duas tantum formalitates, vel duas virtualitates in scientia visionis: *si primum*; manet tota vis argumenti, cum distinctio; per rationem nostram, formalitatum non tollat, quod utraque formalitas a parte rei non sit eodem modo causa, *si una sit*; vel quod neutra sit causa, *si altera non sit: si secundum*; ergo esse causam futuri non convenit virtuali scientie visionis, sed virtualitati decreti seu imperii, quod, *ut tale*, non est scientia, nec visio, nec representatione; ideoque extra questionem versamur, cum hic non queramus an decretum et imperium intellectuale, sed an scientia visionis sit causa rerum, quas videt.

*Inst. 4.* Patres non pauci favent contrarie sententiae. Nam 1º. S. AUG. L. 15. de Trin. c. 13. inquit: *Universas autem creaturas suas et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit; sed ideo sunt, quia novit.* Et L. 13. Conf. c. ult. *Nos ista quæ fecisti videmus, quia sunt: Tu autem quia vides, ea sunt.* L. 5. autem de Civ. c. 9. n. 4. *Voluntas nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit et præscivit: et ideo quidquid valent, certissime valent, et quod facturae sunt, ipsæ omnino facturae sunt; quia valituras atque facturas ille præscivit, cujus præscientia falli non potest.* 2º. S. GREG. L. 20. Mor. c. 23. (al. 32. n. 63. opp. t. 1. p. 667. A. B.) ait: *Quæcumque sunt, non ideo ab æterno videntur, quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur.* 3º. Consentit S. THOMAS, qui in 1. dist. 39. q. 4. a. 1. ad 5. ait: *Esse Dei non subjacet voluntatis libertati, sicut scire operativum creaturæ.* Et p. 1. q. 14. a. 8. ad 1. respondens ad testimonium ORIGENIS 1. c. ait: *Sed quod dicit ideo præscire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiae, non secundum causam essendi.* Sequitur enim, *si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit: non tamen res futurae sunt causa, quod Deus sciatur.*

R. N. Ass. Patres *visionem*, quo nomine juxta D. THOMAM q. 2. de veritate a. 9. ad 3. omnis scientia Dei intelligi potest, nonnunquam dicunt esse causam futuri, alio tamen sensu, quam quem Thomiste volunt, coque multiplici et vario, qui ex testimoniorum contextu colligendus est:

1<sup>us</sup> enim sensus est, quod scientia divina sit prima radix et origo omnium rerum, quatenus Deus nihil efficit solus vel cum creaturis coefficit ignorans et cæco modo, sed prius habuerit ideas rerum omnium et modorum, e quibus voluntas divina deinceps vel decernendo vel permittendo illud eligat, quod in iisdem ideis de possibiliitate cernebat sapientiae sue congruentius: quæ quidem scientia, cum sit de possibilibus et præcedat decretum, est simplicis intelligentiae; cum sit instar artis, est directiva; et si consideretur ut conjuncta cum decreto, ratione hujus potest etiam dici effectiva. Hunc sensum expressit S. AUG. L. 11. de Civ. c. 10. n. 3. de Sapientia Dei: *In qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri omnium intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibles atque incommutabiles rationes rerum etiam*

*visibilium et mutabilium, quae per istam factae sunt; quoniam Deus non aliquid nescius fecit, quod nec de quolibet artifice dici potest. Porro eodem sensu accipi posse 1<sup>um</sup>. AUG. testimonium, liquet ex verbis mox subjunctis: Non enim nescivit, quae fuerat creaturus: quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit: nec aliter ea scivit creatuæ quam creanda.*

*2<sup>us</sup> sensus est, quod scientia sit potius causa rerum, quam res sit scientiae causa in genere *nempe physico*; quatenus scilicet res creatæ non concurrunt ad Dei scientiam mediante sui specie, sicut ad nostram concurrunt: et quamvis veritas objectiva habeat rationem determinatiæ intentionalis objectivi, tamen intellectus divinus est determinatiuum *ut quod ac per modum virtutis* et quasi principii, ipsa autem scientia determinatiuum *ut quo formale*, et per modum exercitii. Atque hunc sensum habet et 2<sup>um</sup>. AUG. testimonium et illud GREG.; quia prior negat causalem illam in divina scientia eodem modo, quo eam affirmat de cognitione, qua nos videmus res existentes; posterior autem ideo meminit æternitatis divinæ scientiæ, quod res in tempore extitutæ non possint media specie influere in cognitionem æternam.*

*3<sup>us</sup> sensus est, quod scientia Dei sit causa consequentiæ, non autem essendi, et particula quia usurpetur sensu illativo non causalí, quatenus si videntur a Deo futura, necessaria est haec consecutio: ergo erunt, quo sensu 3<sup>um</sup>. AUG. textum sumi, ipsa postrema verba denotant.*

Denique quod attinet D. THOMAM, is nobis minime adversatur, dum 1<sup>o</sup> dicit scire operativum creature subiacere voluntati divine; quia hoc stat in eo, quod scientia simplicis intelligentiæ non aliter sit effectiva, quam ut conjuncta cum decreto: neque dum 2<sup>o</sup>. negat res futuras esse causas divinæ scientiæ; quia per hoc negatur rebus futuris causalitas proprie talis et influxus physicus in scientiam divinam, cum id nomen cause absolute talis importet. Cæterum omnis ejus doctrina reducitur ad *hunc discursum*: Scientia Dei se habet ad omnes rès creatas, sicut scientia artificis ad artefactum: unde sicut scientia artificis seu ars est principium, quo artifex ad extra operatur; sic scientia Dei est principium, quo Deus res ad extra producit. Hanc autem equiparationem fieri cum scientia simplicis intelligentiæ non vero visionis, declarat 1. quia discrimen inter formam naturalem et intellectualem in eo ponit, quod licet utraque operetur, prout inclinatur seu determinatur opus, forma tamén naturalis determinetur a natura, intellectualis a voluntate; pro cuius ratione dat, quod *forma intellectualis* sit indiferens ad opposita, ideoque nihil agere possit, nisi per appetitum determinetur: sola autem simplex intelligentia est sic indiferens, minime visio. 2. Quia cum dicit formam intelligibilem per voluntatem esse determinatam ad causandum, et scientiam esse causam rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam, supponit hanc formam et scientiam priorem esse decreto Dei libero, quod determinat et conjungit: quod iterum non convenit visioni sed simplici intelligentiæ.

*Inst. 2. Scientia visionis effectus soli Deo liberi, v. g. angeli, juxta plures est causa per se ipsius effectus; ergo pariter scientia visionis effectus nobis liberi.*

*R. T. A. N. Cons. Scientia visionis effectus Deo soli liberi juxta omnes est virtualiter indistincta a decreto efficaci per se antecedente productivo ejusdem effectus; tum quia nulla ratio nos cogit admittere inter haec extrema*

distinctionem ejusmodi: tum quia scientia visionis decretri essentialiter connexi cum effectu, quale est omne decretum circa effectus soli Deo liberi, est etiam scientia visionis effectus; cum nequeat comprehensive cognosci medium essentialiter connexum cum termino, quin terminus cognoscatur: adeoque cum decretum illud sit causa per se *moraliter* effectiva effectus hujusmodi v. g. angeli, ideo scientia visionis angeli est etiam ipsius causa in eodem genere causalitatis. Verum scientia visionis effectus *nobis* liberi juxta multos virtualiter, juxta alios saltem magis distinguitur ab omni decreto per se antecedente, imo est per se posterior effectu nobis libero, et decretum per se antecedens non est connexum cum hujusmodi effectu, sed indifferens; eo quod alias libertas lœderetur: adeoque in nullo genere causalitatis per se potest visio esse effectus nobis liberi causa.

*167. Obj. II. Scientia, quæ est causa rerum, juxta S. THOMAM, 1<sup>o</sup>. est scientia approbationis et beneplaciti: 2<sup>o</sup>. est libera, ne res dicatur necessario fieri a Deo: 3<sup>o</sup>. est terminata ad rem ut aliquando existentem: sed nihil ex his convenit simplici intelligentiæ; omnia tamen visioni divinæ congruant, ut manifestum singula pércurrenti fiet; ergo.*

*R. Quoad 1<sup>um</sup>. D. M. Scientia, quæ est causa rerum, secundum se et ut scientia spectata, est scientia approbationis N. secundum aliud sibi adjunctum sumpta, et ut dicit affectum aliquem voluntatis ad rem scitam C. Hic vero affectus voluntatis seu decretum non antecedit, sed sequitur scientiam secundum se spectatam; unde visioni congruere nequit in Thomistarum opinione. Præterea minor etiam negari potest, quia dupliciter res approbat: primo intendendo ut sit; atque haec præcedit visionem, et est scientia simplicis intelligentiæ, ut habens adjunctum decretum rei producendæ: secundo complacendo in opere facto; atque haec sequitur rem factam, ideoque causa ejus esse nequit.*

*Quoad 2<sup>um</sup>. D. M. Scientia, quæ est rerum causa, debet esse libera in essendo sive existendo, et ita ut non habeat necessitatem attingendi objectum N. libera in causando, et sic, ut non habeat necessitatem ponendi effectum C. Potest autem scientia simplicis intelligentiæ, quantumvis necessario existat, non habere sibi adjunctum decretum divinum; cum, illa scientia non obstante, Deus possit decernere vel non decernere existentiam possibilium cognitorum.*

*Quoad 3<sup>um</sup>. D. M. Scientia haec secundum se et ut repræsentativa objecti terminatur ad rem ut existentem, tanquam effectum ab ipsa directione causatum T. tanquam ad objectum sub ratione existentis a cognitione representatum N.*

*Inst. 1. Impossibile est scientiam esse causam illius, quod non cognoscit; cum scientia non aliter causet, quam dirigendo: sed scientia simplicis intelligentiæ non cognoscit res existentes seu futuras; tum quia haec statuitur esse cognitio eorum, que nec sunt, nec fuerunt, nec erunt: tum quia scientia dirigens decretum efficax debet proponere objectum decreti efficacis, quod utique est objectum absolute futurum et non est terminus simplicis intelligentiæ; ergo. Conf. Etiam juxta nos scientia divina non aliter causat res in actu secundo nisi ut conjuncta cum divino decreto: sed ut cum decreto*

conjuncta non est scientia simplicis intelligentiae, sed *visionis*; cum jam sit cognitio de re facienda et extitura; ergo.

R. D. M. Impossibile est, scientiam esse causam illius, quod non cognoscit saltem ut possibile C. ut existens vel futurum N. M. et sub eadem distinctione etiam N. min. Preterea falsam esse probationem ejus 1<sup>am</sup>. constat ex supra dictis in explicatione scientiarum: 2<sup>o</sup>. non aliter intelligitur, quam quod objectum decreti efficacis debeat proponi per scientiam in statu possibilis; non autem existentiae actualis pro tempore quocumque. Itaque ne voluntas divina irrationali et cæco modo procedat, satis est quod, antecedenter ad decretum, cognoscat rei decernendæ existentiam ut possibilem et producibilem per decretum: imo implicat scientia quæ, antecedenter ad decretum, repræsentet objectum, prout est, in eodem statu in quo ponitur per decretum; cum implicet, rem esse ante decretum in eo statu, in quo ponitur per decretum.

Ad Conf. R. N. min. Quia scientia simplicis intelligentiae, etiam ut conjuncta cum decreto quod dirigit, et quo medio in actu secundo causat, ex dictis est cognitio rei producendæ et extituae, non tamen ut talis, sed ut possibilis et producibilis; quia semper habet eundem tendendi modum sibi intrinsecum et essentiale, ac proinde semper manet simplex intelligentia. Cæterum in hactenus disputatis videntur aduersari loqui de decreto efficaci per se antecedente actus creature liberos, in quo falsum supponere illos, superius demonstratum fuit.

Inst. 2. Objectum nobis liberum v. g. consensus 1<sup>o</sup>, nequit esse causa scientiae visionis; quia causa in causa supponit dependentiam et imperfectiōnem: 2<sup>o</sup>. nequit esse prior illa; quia nihil est ab æterno: 3<sup>o</sup>. nequit esse determinativum; quia ipse, utpote quid contingens, determinari deberet, nec tamen est determinatus juxta nos per decretum: neque etiam potest dici determinatus per voluntatem creatam, utpote necdum existentem. Ergo visio dicenda est causa objecti. Conf. Quamvis Deus libere ponat prædefinitionem vel complexum ex *scientia media* et *auxilio*, quæ ambo sunt metaphysice connexa cum consensu, tamen per hoc Deus non est determinativum nostri consensu; quia tam prædefinitio quam ille complexus supponunt consensum nostrum jam conditionate determinatum; ergo etiam quamvis homo libere ponat consensum, qui metaphysice connectitur cum *scientia visionis*, tamen is dicendus non est determinare visionem aut intellectum divinum; quia et hic est essentialiter conditionate determinatus ad veritatem objectivam consensus cognoscendam, pro casu existentiae talis consensus.

R. Ad 1<sup>am</sup>. p. D. Nequit esse causa proprie et stricte talis scientiae visionis C. improprie et late talis, scilicet in genere objective intentionaliter determinativi. N. Ex hac vero causalitate utpote intentional, et cum aliquo tamen discrimine causalitat finis æquali, non inferri posse imperfectionem aliquam aut dependentiam propriam, vel ex eo liquet, quod, hac causalitate non obstante, scientia Dei existat ab æterno sine consensu existente, res autem *proprie* non dependet ab alio, sine quo existit perfectissime constituta.

Ad 2<sup>am</sup>. p. D. Nequit esse prior prioritate temporis, originis, naturæ vel causalitatis proprie et stricte talis C. causalitatis improprie et late talis, et in

genere tantum intentionaliter objective determinativi N. Huic autem prioritati minime obstat, quod scientia sit ab æterno, et consensus duntaxat in sua temporis differentia; quia ad intentionaliter causandum non requiritur existentia actualis, ut in causa finali et meritoria exemplum habetur, sed ad summum existentia intentionalis, quam utique habuit consensus futurus; quatenus jam æterno verum erat, consensum esse futurum.

Ad 3<sup>am</sup>. p. N. et memb. 2<sup>um</sup>. prob. D. Voluntas nondum existit pro statu C: alienative et pro tempore quo erit consensus N.

Ad Conf. R. N. Cons. Disparitas est, quia determinatio consensus conditionata, quam supponunt prædefinitio vel ille complexus, est aequa contingens et libera, ac determinatio ejusdem absoluta, atque hinc nequit componi cum determinatione aliunde accedente circa eundem consensum: e contra cum illa necessaria determinatione conditionata Dei ad veritatem objectivam consensus cognoscendam, recte componitur determinatio nostra libera contingens, et ab hac etiam contingentia vel potius indifferentia intellectus divini circa hanc determinate veritatem objectivam determinationem sortitur.

168. Observa. Ex dictis facile est componere præscientiam divinam cum libertate creata. Quia enim hæc præscientia, licet tempore antecedens et æterna, est intentionaliter, objective et determinative posterior nostris actibus liberis ut absolute futuris, sequitur eam esse evitabilem et impedibilem a libertate creata; quandoquidem sicut voluntas in tempore consentiens est medium intentionale objective determinativum, cur Deus ab æterno præviderit consensum futurum, sic in tempore pro signo libertatis potest dissentire, et intentionaliter objective determinare Deum, ut ab æterno cognoverit dissensum futurum. Hinc sequitur 1<sup>o</sup>. rem prævisam non esse necessariam nisi consequenter, de qua necessitate S. Ans. L. de Concord. præscient. et prædestin. part. 1. fuse disputans, hanc dicit esse sequentem, quæ nihil esse cogit (c. 2); quæ descendit de libera voluntate (c. 3); quam voluntas prius quam sit cavere potest (ibid.); et quæ fit a libera voluntate (c. 4). 2<sup>o</sup>. hanc necessitatem esse duntaxat consequentiæ, non autem causalitatis vel in essendo, cum res prævisa nullam habeant necessitatem, nisi dependentem a libertate, et quæ sit effectus libertatis. 3<sup>o</sup>. non pugnare inter se has enunciations: Deus prævidet Petrum consensum; Petrus potest non consentire; sicut nec hæc pugnant: Petrus consentit, Petrus potest non consentire; quia Petrum posse consentire, et Petrum posse non consentire, sunt propositiones veræ, utpote quæ ambæ de materia possibili; et Petrum consensum, ex supposito consensus, vera etiam est determinata. 4<sup>o</sup>. illam propositionem Petri de Rivo: *Quod sequitur ex antecedenti necessario, necessarium est*: vel recte damnatam esse a Sixto IV., vel siquidem, ut aliqui contendunt, damnata non est, nihil evincere: nam si absolute prolata sit de quocumque antecedente, necessario falsam esse probat necessarium consequenter seu ex hypothesi: si vero intelligatur de necessario absolute tali, sub eodem non venit scientia divina, utpote quæ res contingentes, et quidem ut libere ac dependenter ab indifferenti voluntatis electione futuras, supponit et sequitur.